

Les sources manuscrites de la théorie de la musique  
(S. IX-XVI)

---

Firenze, Biblioteca nazionale (I-Fn)  
II I 406 (Magliab. XIX 19), f. 5r-v  
Transcription : Christian Meyer  
(déc. 2000 – rév. nov. 2017)

5r<sup>1</sup> Incipit rude documentum tonorum sed valde utile est hiis qui intelligunt *Octo sunt toni, scilicet primus* etc.

<sup>2</sup> De octo tonis quatuor sunt principales et quatuor collaterales. Principales sunt scilicet primus, tertius, quintus et septimus. Collaterales sunt scilicet secundus, quartus, sextus et octavus.

<sup>3</sup> Omnis cantus primi toni potest ascendere a finali corda que dicitur ·D·solre usque ad nonam cordam que dicitur ·e·lami. In regula potest autem descendere usque ad quartam cordam que dicitur ·A·re. Et in multis locis invenitur huiusmodi cantus. <sup>4</sup> Omnis cantus secundi toni potest ascendere a finali corda que dicitur ·D·solre usque ad quintam cordam que dicitur Gammaut. <sup>5</sup> Omnes alii cantus principalium similimodo ascendunt et descendunt a suis finalibus cordis sicut et [secundus tonus et] cantus toni primi. <sup>6</sup> Cantus vero tonorum collateralium similimodo ascendunt a suis finalibus cordis sicut et secundus tonus.

<sup>7</sup> Quattuor sunt littere finales et tres afinales. Finales sunt scilicet ·D·solre, ·E·lami, ·F·faut, ·G·solreut. Afinales sunt scilicet ·a·lamire, ·c·solfaut, ·d·lasolre. <sup>8</sup> Omnis cantus primi et secundi toni in ·D·solre finitur. Secundus vero tonus quandoque in ·A· finitur,

---

<sup>4</sup> ad quintam] ad sextam cod.

tercii et quartus in ·E·. Quartus vero tonus quandoque in ·A· finitur.<sup>9</sup> Omnis cantus quinti et sexti in ·F· finitur, sed aliquando sexti in ·c· finitur. Omnis cantus septimi et octavi toni in ·G· finitur.

<sup>10</sup> Omnis antiphona que finitur in *re* cuius *seculorum* incipit in *la* primi toni est. Omnis antiphona que finitur in *re* cuius *seculorum* incipit in *la* primi toni est. Omnis antiphona que finitur in *re* cuius *seculorum* incipit in *fa* secundi toni est. Omnis antiphona que finitur in *mi* cuius *seculorum* incipit in *fa* tertii toni est. Omnis antiphona que finitur in *mi* cuius *seculorum* incipit in *mi* quarti toni est. Omnis antiphona que finitur in *ut* cuius *seculorum* incipit in *sol* per b molle quinti toni est. Omnis antiphona que finitur in *fa* cuius *seculorum* incipit in *ut* sexti toni est. Omnis antiphona que finitur in *ut* cuius *seculorum* incipit in *sol* septimi toni est. Omnis autem que finitur in *ut* cuius *seculorum* incipit in *fa* octavi toni est, sicut continentur in versibus in quibus continentur :

<sup>11</sup> Primus cum sexto *fa sol la* semper habeto

<sup>12</sup> Tercius et octavus *ut re fa* sicque secundus

<sup>13</sup> *La sol la* quartus *ut mi sol* sit tibi quintus.

<sup>14</sup> Septimus *fa mi fa sol* sic omnis esse recordor.

<sup>15</sup> Septimus et primus cum sexto sic mediantur :

<sup>16</sup> *Fa mi re mi.* Quintus octavus sicque secundus :

<sup>17</sup> *Fa sol fa,* sed tercio *sol fa fa mi fa* dans.

<sup>18</sup> *Ut re mi re quartus* cum mediabit habet.

<sup>19</sup> Finit in ·E· vel in ·A· primus tonus atque secundus

<sup>20</sup> Tercius et quartus in ·b· vel in ·E· relocatur

<sup>21</sup> Et quandoque per ·a· quartum finire videbis.

<sup>22</sup> Quintus in *fa* vel in ·C· nec sextus ab hoc removetur.

<sup>23</sup> Septimus octavus in *sol la G* requiescunt.

---

<sup>9</sup> in ·c·] in ·f· *ante corr.*

<sup>20</sup> relocatur] re loquatur *cod.*

- <sup>24</sup> Octo *seculorum* primus generalia servat  
<sup>25</sup> Sed quidam dicunt quod plurima debet habere  
<sup>26</sup> Et tantummodo duo demonstrat norma secundi.  
<sup>27</sup> Tercius et quartus sex quisque tenet neque plurima.  
<sup>28</sup> In quinto tria sunt sextus tantum tenet unum.  
<sup>29</sup> Septimus in quinque finitur iure moderno.  
<sup>30</sup> Sic tenet octavus inter tantummodo quinque.